B. N. C.[1]
FIRENZE
1034
23

1034 . 23

T

COL [illegible] A

XXXVII

SOSSA

1034.23

103H 33

AD S. D. N.
CLEMENTEM VIII.
PONT. MAX.

PHILIPPI II. POTENTISSIMI HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS CATHOLICI NOMINE

Oboedientiam praeſtante Illuſtriſs. & Excellentiſs. Viro
LAVRENTIO SVAREZ,
DE FIGVEROA, ET CORDVBA,
DVCE DE FERIA, ETC.

ORATIO

Habita a IOANNE ALFONSO DE SOSSA, I. V. C.
ac publico Profeſſore, IV. Kal. Maij. CIↃ IↃ XCII.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1879

SVPERIORVM AVCTORITATE.

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
CIↃ IↃ XCII.

ſemper facilius fuit mirari, quam de ea loqui; & tutius, Tuos mores obſeruare, quam laudare. Illa uero ſumma, ſingulariq. Tua ſapiētia, cum cognouiſſes aperte, aegrotantis Reip. unicum, & ſingulare antidotum, in vera Iuriſprudentiae cognitione, ac illius uſu, conſiſtere, Iuſtitiam, eius matrem, atque Imperij Reginam, reliquarum virtutum, ac ſcientiarum, comitatu ſtipatam, penes Te, in omni officio, & publico munere, tam conſtanter retinuiſti, & tam ſanctè obſeruaſti, vt nihil umquam fuerit in utraque iuſtitia, cuius non omnes impleueris, atque abſolueris numeros. Alteram enim in Sacrae Rotae Auditoris munere, ſic ius ſuum cuique tribuens, adminiſtraſti, ut Te mortales, non ut iuſtum iudicem, ſed ut iuſtiſſimorum iudicum rariſſimum exemplar, ſuſpexerint. Alteram in grauiſſimo, ſanctiſſimoque, Datariae Officio tanta beneficentia illuſtraſti, ut non ſolum benemerentes magnis beneficijs affeceris, atque cumulaueris; ſed & iacentes animos, honorum, & dignitatum, propoſitis praemijs, tamquam quibuſdam facibus ſubiectis, ad uirtutum, & litterarum, ſtudia excitaueris, atque inflammaueris. Cardinalis autem cum meritiſſime fuiſti renuntiatus, eum Te in tanta dignitate praeſtitiſti, ut omnes integerrimum uirum, ac ſanctiſsimum fratrem Tuum, Ioannem Aldobrandinum, Cardinalem, uno ore, ac ſermone, in Te reuixiſſe conſtanter aſſeuerarent. Legatus uero apud Poloniae Regem de Latere Pontificis, ad grauiſsimam cauſſam, miſſus, eo ſtudio, tanta uirtute, res aduerſas repreſsiſiſti, ea arte, ac prudentia, ſecundas quaſi de caelo aduexiſti, ut non tam uidearis Legationem geſsiſſe, quam, quo modo ſit gerēda Lega-

tio, alijs documentum attuliſſe. Ac tandem, cum in Te uno ea ſemper fuerint omnia, quae ingenio inueſtigari, quae arte exornari, quaeq. ſumma, Diuinaque, fieri poſſunt uirtute, haec mortalium mentes omnium imbuit opinio, Te non factum, ſed natum, non electum, ſed de caelo datum eſſe humano generi Pont. Opt. Max.

Quam rem ita lubentibus animis, Patres Ampliſsimi, accepit populus Chriſtianus uniuerſus, ut non minus facto ueſtro, ac ſtudio, quam conſilio, iudicioque, delectetur. Nam, etſi certum, ac exploratum ſit, Summos Pontifices deligi afflante numine, ita, ut Deus ſit auctor deferendae dignitatis, Cardinales ipſius interpretes, atque miniſtri; tunc profecto apparuit, cum ad Te nec optantem, aut petentem, uentum eſt, P. B. & exaudita eſt uox illa Tua, qua nō recuſabas quidem laborioſum onus, ne aduerſareris Diuinae uoluntati, ſed, prouolutus in genua, ueriſsimo uultu, intimoq. animi ſenſu, illud pronuntiabas ex Vate Regio, qui forma fuit ſapiēter, & ſancte imperandi, Vt adhaereret prius faucibus lingua, quam eliceretur ex ore aſſenſio, quae non eſſet Deo gloriam, Eccleſiae utilitatem, animae Tuae ſalutem allatura. Quo dicto, factoque; enituit Diuina mens, Tuuſque animus alienus ab omni cupiditate: & Cardinales ipſi, pro ſua pietate, omnes, ac prudentia, eo magis in ſententia ſunt confirmati. Atque iam, ut ſalutaria, innumeraq. alia, quae pro Chriſtianae Reip. utilitate excogitas, atque quotidie paras, omni omnium celebratione longe maiora omittam; quam iucundum iſtud mortalibus, atque utile, eſſe putas? quod aures Tuae omnibus patent, quod omnium ad Te uota perferuntur,

SI, quo maior laetitia eſt, ad eam palam uoce ſignificandam, eo exquiſitius requireretur orationis genus; nemo mortalium eſſet, PATER BEATISSIME, qui incredibile gaudium, quo elatus eſt PHILIPPVS HISPANIARVM REX CATHOLICVS, Te Pontifice declarato, ſe dicendo aequare poſſe confideret. Sed, quoniam contra euenit, ut magnitudo iuſtae uoluptatis, quamquam odit ſilentium, reſpuat ornamenta uerborum; nullam uerebor reprehenſionem, ſi apud Te, in hoc nobiliſſimo Orbis terrarum Conſeſſu, Potentiſſimi Regis nomine, Tuae Sanctitati gratuler ſimplici quadam, & minus ornata, ratione dicendi. Nam, etſi id unum ſemper Sibi propoſuit Catholicus Rex, ut, quicumque Summus Pontifex, Chriſtiq. Vicarius, renuntietur, Eum omni debito cultu, rituque, ueneretur; nunc tamen, eam credo ob cauſſam, quod ita poſtularet difficultas, & ratio temporum, Dei prouidentia effectum eſt, ut Tu, communi omnium Patrum conſenſu, creatus ſis: qua ratione, non ſolum quia delectus es, ſed quia unus omnium deligi debuiſti, optimo iure laetetur. Videt nempe, quo in ſtatu ſit Reſp. Chriſtiana, cuius non minimam partem ipſe procurat: intelligit, ut in turbulentiſſima tempeſtate peritiſſimo gubernato-

re eſt opus; eius moderationem Tibi potiſſimum, P. B. committi debuiſſe, apertumq. latiſſimum campum, in quo tot, tantarumq. uirtutum Tuarum, quibus egregie cumulatus es, non minus cum antiquis comparanda, quam aemulanda poſteris, ab ipſis Tuae natiuitatis initijs, argumenta cernantur.

Nam, cum in ornatiſſima Fani ciuitate natus ſis, fauſti; feliciſq. ominis nō leue ſignū fuiſſe videtur. Quid enim eſt Fanum, ſi uocem ad uiuum reſecare uelimus, niſi Dei templum; aut templi eius fabrica, niſi uniuerſa mundi machina? Quare, natus cum ſis Fani, natus uideris ad templum Dei, hoc eſt ad Eccleſiam Eius, & mundum uniuerſum ſumma, Diuinaq. Tua ſapientia regendum. Educatus es in Vrbe, Principe terrarum, ubi enitent ea ſapientiae lumina, quae ex uniuerſo Orbe noctem pellunt ignorantiae: in qua ab adoleſcentia tantum conſecutus es ſplendoris; ut Te omnes, tamquam ſidus aliquod fulgentiſſimum, admirarentur. Nam a Siluestro Aldobrandino, nobiliſſimo Tuo parente, ſummoq. Iuriſconſultorum oraculo, ita es, a primae ſtatim aetatis incunabulis, ad ius, & iuſtitiam, informatus, ut Tecum nata uideretur iuris laus omnis, & gloria; ita in omni genere officij, atque honeſtae actionis, inſtitutus, ut nulla eſſet tam caeleſtis, & diuina uirtus, quam non uidereris cum lacte ſuxiſſe. Vbi uero creuit aetas, uirtutumque, & ſtudiorum, gradibus ad Doctoratus inſignia adſcendiſti, Tu, tamquam a Deo immortali, non ab ullo mortalium, inſtitutus, cum Te praebuiſti Doctorem, qui Doctoris nomen ſuperares magnitudine uirtutis, atque doctrinae. Quocirca Tuam ſapientiam

ſemper

ſtolica, maximoq. Pontifice, comprobari, gloriatur: atque, in tanta magnitudine ſumptuũ, & effuſione auri, in immenſa etiam illa mole moleſtiarum, hac ſe praeclara conſcientia ſuſtentat, quod militat Deo, quod ſuorum conſiliorum participem, & moderatorem; habet Te CLEMENTEM OCTAVVM, Summum in terris Chriſti Vicarium, quem, uelut alterum Moyſen, leuatis in caelum manibus, in ſupremo Eccleſiae huius uertice, Diuinam illius Clemētiam ſuppliciter deprecantem uidet. Quod ſi adhuc hoc ipſum ab alijs huius Tui praeclari nominis Pontificibus, quorum memoria ſancta eſt, factum fuiſſe legatur, hoc magis a Te factum iri Sibi perſuadet, quo maior rerum neceſsitas, durior conditio temporum, Tuaq. eximia uoluntas, altitudo animi, & longe in poſterum proſpiciens ſapiētia, notior eſt. Ex his, atque ex Tui Pōtificatus feliciſsimis auſpicijs, certiſsime ſperat Rex noſter, fore, ut Gallia, tumultu, & ſeditionibus, nunc agitata, breui tranquilla, & pacata, reddatur; Britannia, graui impietatis morbo affecta, ſanetur, priſtinamq. ſalutem, ac religionem, recuperet; Germaniae tēpeſtates ſedentur; Haereticorum uictae, proſtrataeque, cateruae, ad meliora, ac ſaniora, conſilia trahantur; atque exterae omnes gentes, & nationes, ad hanc Catholicam fidem, ac ueram religionem, conuerſae, legibus, & moribus, cum hoc Tuo caeleſti, Diuinoque, imperio conſocientur.

Quare, vt iam rem tantam paucis concludam, licet uniuerſo Orbi Chriſtiano de Te, CLEMENTE OCTAVO, Pontifice Maximo, omnia maxima, ſumma, & fauſtiſsima, ſibi ſecure ſperare. Licet & eadem

de

de noſtro R E G E cumulatiſsime polliceri. *Certis, REGEM Catholicum PHILIPPUM, nulli Chriſtianorum Regum pietate, & religione; ſecundum; opibus uero, et potentia, multo ſuperiorem, per Legatum hunc, Tuis Sanctiſsimis Pedibus, genu flexo, affixum, ex ore Tuo, & Oraculo pēdentem, qui Tibi, veriſsimo Chriſti Vicario, certiſsimo Petri Succeſſori, communi totius Eccleſiae Principi, ac Gubernatori, debitam, ſolitamque, OBOEDIENTIAM praeſtat, ac exhibet; nec nō pro Tua iſta Celſiſsima Sede, Eccleſiaeq. Maieſtate, tuenda, haec alacri, & conſtanti, animo offert: florentiſsimae Suae Monarchiae Sceptrū, Regiae Suae Maieſtatis Coronam, affluentes Suorū Regnorum opes, ingentē Suorum ſubditorū multitudinem, ipſum Auſtriacae Familiae ſanguinem, Suamq denique ipſiuſmet uitam; ut, quem Deus, ſingulari ſua bonitate, in terris Regem; atque Regum maximum, eſſe voluit, Eum & Is maximum Sui Vicarij defenſorem, acerrimumq. Suae Eccleſiae propugnatorem, agnoſcat.*

ſta sūt ... c geni... flexis.

Reliquum igitur unum eſt, Patres Ampliſsimi, religioſiſſimiq. uiri, Deum precemur ſupplices, ut quando Illum, tam longa Catholicorum Regum ſerie, Regem; Hunc vero, poſt tot tantorum Pontificum funera, Pontificem creauit; Is utrique vitam quam diutiſsime prorogare dignetur; quo ſuam Hic facilius clementiam, atque ſanctitatem; Ille melius ſuam pietatem, atque religionem, declaret.

DIXI.

runtur, quod nemo arcetur ingreſſu. Vigilas Tu uidelicet, ut omnes, qui Tibi ſubijciuntur, dormiant ſecuri: laborem ſuſcipis audiendi, & cognoſcendi, ut illorum otio, ſalutique, cōſulatur, atque, ut uno uerbo expediam, Tua unius occupatio ſeruit omnium quieti. Soli ſimilem Te dixerim, qui, ut huic rerum Vniuerſitati proſit, motu cietur ſempiterno. Ergo iam iſto Tuo ueluti exortu, Sol nitidiſsime, Dux, & moderator Luminum reliquorum, temporis triſtitiam diſcutis; fugas caliginem; temperas uiciſsitudines rerum; partiris, ut quiſque promeritus eſt, munera mortalibus; comples terras, & luſtras clariſsima luce; regis, alis, foues, cuſtodis uniuerſa; & omnes Te auidiſsimis oculis intuentur.

Quae omnia cum intueretur etiam, ac ſapientiſsime ſecum reputaret Potentiſsimus REX noſter PHILIPPVS, ſeque, cum maiorum imitatione, tum Sua ſponte, Eccleſiae deuotiſsimum praeſtare cuperet, miſit ad Te Illuſtriſsimum, & Excellentiſsimum hunc Virum, LAVRENTIVM SVAREZ A FIGVEROA, ET CORDVBA, Ducem Feriae, ac unum ex Hiſpaniæ antiquiſsimis proceribus Magnatem, cuius omni uirtute, & ſapientia, amplificata eſt dignitas, auorumq. ſuorum fide, & religione, glorioſiſsime commendata; ut per eum tanquam praeſens iuſtiſsimam ſuae laetitiae cauſſam de ſuprema hac Tua dignitate poſſet exprimere; quiq. Tibi non ſolum de altiſsimo iſto, & caelis proximo, dignitatis gradu, ſuo nomine gratularetur, uerum etiam oboedientiam, tamquam ueriſsimo in terris Chriſti Vicario debitam, & ab illo ipſo Tuis anteceſſoribus, re, & uoto, ſemper exhiberi ſolitam, praeſtaret.

Sed,

Sed, ut a Legato ornatiſsimo ad Regem inuictiſsimum, unde noſtra defluxit oratio, redeam, tantum ille, ex hac ſublimi, Diuinaque dignitate, quae iam pridem excellentibus Tuis uirtutibus, & meritis, erat, omnium conſenſu, debita, quamq. calamitoſo hoc tempore a Deo immortali de caelo plurimis precibus Eccleſia habet accerſitam, hauſit laetitiae, quantum praeſidij cognoſcit in Te uno reſidere publicae utilitatis, & uitae. Etenim non ueretur, ne, in tot tantiſq. curis, quibus non obruitur Tui magnitudo animi, ſed augetur, Eius ulla, aut Hiſpaniae, ceterarumq. Eius prouinciarum, & Regnorum, Te capiat obliuio. Cum praecipue ignotum ſit nemini, quam multos iam annos terra marique, quot quantaque proelia Ille pro religione ſuſtineat. Sic enim ſe res habet. Nulla gens, nulla natio, hoſtis eſt Eccleſiae Catholicae, quae non eodē quoque tempore Catholico Regi bellum indixerit. Tumet Britannia, Germania parturit, ardet afflicta Gallia, coquunt conſilia Turcae, capita, atque arma, conferunt Haeretici. Vnus prope nodus, ac ſcopulus, cunctis obiicitur PHILIPPVS. Is uero nihil mouetur in procellis, in periculis non metuit, in tempeſtatibus non quatitur: quandoquidem, iuſtiſsimam, ſanctiſsimamque omnipotentis Dei cauſſam ſe agere, & tueri, ſcit: quin etiam, dum turbatur Europa, in ignotas olim terras, & ignaras Diuini cultus, magiſtros mittit legum caeleſtium, ut uerum Deum Barbarae gentes agnoſcant, Romanumq. Pontificem, qui Eius numen, ac poteſtatem, obtinet, rite uenerentur. Tam egregij Regis conatus, profecti a ſolo amplificandae religionis conſilio, ad eandem diriguntur. eos a Sede Apo-

ſtolica,

ANTONIVS BVCCAPADVLIVS
Secretarius Apoſtolicus Domeſticus
CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.
nomine
in haec uerba reſpondit.

IVCVNDISSIMA eſt Sanctiſsimo D. N. ſplendida haec Legatio, a Philippo, Hiſpaniarum Rege Catholico. E tribus uero partibus orationis nunc habitae, laudationis, gratulationis, oboedientiae, maxime uoluiſſet Sanctiſſimus D.N. priorem partem de Suis laudibus totã praetermiſſam eſſe; Philippum copioſius multo laudari libentiſsime audiuiſſet. Sic enim cenſet: Philippo, cuius tota uita nihil eſt aliud, niſi perpetua quaedam pro Chriſti cauſſa dimicatio, tribuenda eſſe ad laudem ſumma omnia; ſibi ne minima quidem ſumenda; qui intelligat, homini etiam perfectiſsimo, & in Diuinis praeceptis ſanctiſsime verſato, tamen ſemper in animo habendum eſſe illud: Cum haec omnia feceritis, dicite, Serui inutiles ſumus: quod enim facere debuimus, fecimus. Gratulationem eam demum iuſtam eſſe ducit, quae, propoſita Dei gloria, ſuſcipitur, praeſtantis alicuius boni cauſſa, ſiue praeſentis, ſiue ſperati. Hac enim vna Deo inſeruiendi remota cogitatione, & conatu, nihil aliud afferre bonorum gradus, niſi moleſtiarum cumulum; maximum quẽque, maximum; idq; Regem pro Sua parte experiri. Hanc uero Oboedientiam tam alacrem, tam Regis litteris, tam praeſenti actione, teſtificatam, Oratores Illuſtres, accipit Sanctiſsimus D.N. una cum his Venerabi-

libus Fratribus Suis S. R. E. Cardinalibus, paterna caritate: qua etiam caritate precatur Regi inuicto perpetuam e Suis, hoc eſt e Chriſti hoſtibus uictoriam; hos enim ille tantum hoſtes habet, ceteris omnibus pacatus, ac beneficus. Regi item, ac liberis, benedicit; ſimulq. diuturnam uitam, valetudinem, Diuinae gratiae copiã, bonorum denique omnium cumulum, precatur.

Z
1034.23

aa 956700

1034.23